

cisione facta a facto Petri et iure divino possent esse duo Episcopus distincti realiter et specialiter.

Nota. Romanus Pontifex successor est Petri in Primatu, et solius Petri; quamvis secundum quid sub aliqua imperfecta ratione possit dici et dicatur successor quoque Pauli. Sane propositio haec: « *S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiae principes qui unicum efficiunt, vel sunt duo Ecclesiae catholicae coryphaei ac supremi duces summa inter se unitate coniuncti, vel sunt geminus universalis Ecclesiae vertex, qui in unum divinissime coaluerunt, vel sunt duo Ecclesiae summi pastores ac praesides qui unicum caput constituunt* », ita explicata ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subiectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiae, declarata est *haeretica* ab Innocentio X. Primatus nempe proprius est solius Petri; Romanus proinde Episcopus qui in Primatu succedit, soli Petro succedit. Et sane Petrus fuit ordinarius Episcopus Romanae Sedis, id universa antiquitas testatur, et idcirco ea sedes dicitur Sedis Petri; unicus vero esse potest ordinarius Episcopus alicuius Ecclesiae. Petro vero veluti coadiutor, qui non habet cathedram aliam ab ordinario, coniunctus est Paulus, sive, ut ait Gelasius in decreto de Scripturis canonicis et apocryphis, « Petro addita est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli. » Scilicet advertendum est Paulum praedicatione sua fundasse cum Petro Ecclesiam Romanam, unde ratione habita praedicationis dici potest Paulus simul cum Petro fundator Ecclesiae Romanae: Petrus autem praeterea ratione ordinariae auctoritatis Episcopalis ibi assumptae. Item Paulus cum Petro connumeratur inter principes Apostolorum, sed ille ratione potestatis, hic ratione praedicationis, qua ceteris praecelluit.

Hinc intelligitur quo sensu Romani Pontifices dicantur *successores Petri et Pauli*, imperare soleant *auctoritate Petri et Pauli*, minarique *indignationem Petri et Pauli*; ac in diplomatis pontificiis utriusque imago repraesentetur. Nam Romanus Pontifex successor dicitur Pauli tum quoad successionem localem, in eadem enim Ecclesia succedit, in qua Paulus vitam et Apostolatam absolvit; tum quoad successionem realem; eandem enim apostolicam auctoritatem hereditat Pontifex quae erat extraordinaria in Paulo, imo maiorem; non vero quoad successionem personalem, obeundo nempe eius officium, eiusque locum tenendo. Hac ergo ratione, et quia Paulus, ut diximus, praedicatione sua fundavit Romanam Ecclesiam, suoque sanguine consecravit; fuitque socius et adiutor Petri, eius imago componitur cum imagine Petri in diplomatis pontificiis, licet non semper; Brevia enim Apostolica signantur annulo solius Piscatoris figuram

gerente. Porro auctoritas Pauli sub qua Romani Pontifices imperant, et indignatio eius, quam minantur, potius quam potestas officii censenda est *potentia patrocini*, et sane non tantum ipsius, sed et B. Virginis, et Sanctorum omnium auctoritatem et indignationem solent Romani Pontifices proponere.

Quod vero in imaginibus Petri et Pauli identidem Paulus nobiliorem occupet locum, id vel ex imperitia artificum, vel ex eo factum est quod vellent subinde significare quemdam primatum Pauli nempe in praedicatione, eiusve specialem destinationem ad gentes evangelizandas, inter quas est Roma.

THESIS XI.

Verba ergo Christi ad Petrum (Matth. XVI; Luc. XXII; Ioan. XXI) spectant aequo iure ad singulos Romanos Episcopos, qui universi Primatus iurisdictionem ab ipso Deo immediate consequuntur.

I. Prior pars corollarium est praecedentium. Verbis enim Christi Primatus Petri institutus est, atque institutus est perpetuus; in successoribus ergo Petri perseverat idem Primatus Petri: ideoque ad eos quoque ea verba spectant. Diximus perseverare Primatum Petri: huc enim spectat perpetuitas Primatus, de qua locuti sumus, Primatus nempe illius quem Christus instituit, qui non est nisi Primatus Petri. Unde si e. g. praetermisso Romano Pontifice Ecclesia alicui conferret quandam supremam potestatem in omnes fideles, etsi ille esset aut diceretur Primatus, non esset tamen Primatus Petri, seu non esset ille qui a Christo originem habet et collatus est b. Petro; neque qui sic ab Ecclesia eveheretur, esset successor Petri. Concipiendus est ergo idem Primatus olim a Christo institutus in Petro iugiter perseverare in suis successoribus, quos omnes Christus allocutus est cum locutus est ad Petrum. Testimonia traditionis catholicae in hanc rem afferre modo non oportet, cum ea traditio ex testimoniis pluribus iam superius citatis evidentissime constet. Hinc liquet cur Romana Sedes dicatur Apostolica, eaque sola intelligatur, cum simpliciter dicitur *Sedes Apostolica*. Nam quamvis aliae sint sedes in quibus Apostoli sederunt aut quas instituerunt, tamen in sola Romana Sede viget tota potestas Apostolatus et quidem Apostolatus Petri, qui est iurisdicatio universalis et suprema. Unde licet alii, puta Episcopi Ierosolymitani, succedant Apostolo, at non succedunt in Apostolatu, qui cum Apostolo desiit: Romanus vero Pontifex succedit Petro in Apostolatu qui erat eius Primatus. Quare munus Romani Pontificis *Apostolatus* appellatur, ut in Conc. Chalcedon.

Act. I. de Leone dicunt Patres: « Praecipere dignatus est eius Apostolatus, ut Dioscorus non sedeat in Concilio. »

II. Quamvis omnis potestas a Deo sit; non tamen omnis potestas dicitur esse *immediate* a Deo. In hac re duo distinguenda sunt, nempe *immediata institutio potestatis in genere vel specie, et immediata collatio in individuo*: quoad primum ea potestas dicitur immediate instituta a Deo, quam ipse positiva voluntate secundum speciem propriam determinavit, voluitque esse in societate. Hinc regia potestas singulorum Principum temporalium non est immediate a Deo. Est quidem lex Dei, non positiva, sed quae est ipsa lex naturalis, ut sit potestas in societate: sed Deus non determinavit aut determinat per se certam formam regiminis, non eius immutabilitatem et perennitatem. Dicitur proinde potestas socialis a Deo tradi immediate communitati; non quidem eo sensu quod forma democratica sit a Deo instituta; nullam enim formam regiminis determinat per se Deus; sed eo sensu, quatenus nempe in ipsa natura hominum plurimum posita est naturalis ordinatio ad societatem, et ideo potestas ad media necessaria, atque proinde etiam ad auctoritatem regendi, ita ut ex ea multitudine possit vel unus, vel plures, vel omnes simul subiectum esse huius auctoritatis, omnibus tamen et singulis ius habentibus ut rite gubernentur (Cf. Suarez Defensio Fidei L. III, c. 1. seqq.). At potestatem Primatus Deus ipse secundum speciem suam positiva voluntate instituit et determinavit, voluitque esse perennem et immutabilem; ergo potestas Primatus est immediate a Deo, prout est a Deo immediate instituta: ideoque speciali ratione est de iure divino (§. XVI.).

Verum fieri potest ut potestas aliqua secundum speciem suam sit positiva voluntate Dei instituta, quin tamen ipse Deus immediate conferat eandem potestatem singulis personis. Huiusmodi est (ut suo loco probavimus §. XVII.) potestas Episcoporum; voluit enim Christus esse in Ecclesia sua praeter Petrum Episcopos qui ordinaria potestate regerent oves sibi commissas; unde episcopalis potestas, quae est determinata potestas, licet quoad gradus minus vel magis ampla esse queat, est a Christo positiva voluntate instituta in Ecclesia secundum speciem propriam. Est tamen instituta *in genere*; quia veluit quidem Deus esse in Ecclesia Episcopos; at ipse nullum immediate instituit Episcopum collata ei potestate, sed hoc relinquit potestati et arbitrio Rom. Pontificis (Th. XIV). At ad Romanum Pontificem quod spectat, ipse immediate a Deo potestatem Primatus accipit: h. e. singuli legitime electi ad Romanam Cathedram obtinent immediate a Deo Primatum in universam Ecclesiam. Sane 1) a nemine alio possunt ii hanc potestatem mutuari; electores enim Pontificis, et ipsa

Ecclesia caret hac potestate, quam Christus immediate et directe soli Petro dedit exstaturam tantum in successoribus suis. Praedecessor autem potest quidem constituere formam electionis in Romanum Episcopum; sed ab eo defuncto nequit transferri ius, quod non amplius possidetur, in successorem. 2) Christus voluit Primatum Petri esse perpetuum per successores suos; Petro autem non nisi Episcopi Romani singillatim succedere possunt, iidemque debent; existente ergo electo in cathedram Romanam Christus eadem voluntate qua vult Primatum perennem esse, quae voluntas efficax est, semperque durat, vult hunc electum esse auctum Primatu Petri; atqui hoc tantumdem est ac dicere Christum huic conferre potestatem Primatus immediate; obtinet enim ipse eam vi iuris divini, et solius iuris divini, quod per se sufficit, ipsumque solum sufficit ad eam potestatem conferendam: ergo.

Munus itaque electorum huc redit ut personam designent quae cathedram Romanam vacantem occupare debet; has enim singulas personas Deus non determinavit aliqua lege; posita vero electione legitime facta, nempe secundum leges a Petro aut successoribus eius iam statutas, Primatus et ipse Episcopatus Romanus, qui re non distinguitur a Primatu, a Deo confertur: sive illa persona determinata existit iure divino Episcopus Romanus et Oecumenicus.

Corollarium. Cum ergo Romanus Pontifex quisque accipiat a Deo immediate eum Primatum iurisdictionis quem Christus instituit in Petro, potestas Romanorum Pontificum semper eadem est, nec per actus praedecessorum minui potest. Imo cum semper idem Primatus *iure divino* perseverare debeat, nequit ullus Romanus Pontifex sibi ipsi potestatem suam imminuere.

Nota. Electus in Romanum Pontificem iurisdictionem obtinet universam statim ac rite electus est, etsi nondum sit consecratus: per characterem enim Episcopalem nulla iurisdictione confertur, sed tantum potestas ordinis (cf. Th. XIV); qui proinde character cum eundem effectum praestet in quovis consecrato, si ceteris Episcopis iurisdictionem non confert, nec confert Romano electo sive in Romanam Ecclesiam, sive in universam. Sed sicut ceteri electi in Episcopum iurisdictionem obtinent a Romano Pontifice, cum ab eo electio confirmatur, ita Romanus Episcopus electus iurisdictionem obtinet a Deo, a quo solo eam accipere, et veluti confirmari potest.